



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Humanæ vitæ conditio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Atqui Piscibus orientibus genitos, dicacissimos futuros ait Manilius quarto:
*Nève sit ut primos animo præcedere pisces,
 Garrulitas otiosa datur linguaq, venenum.
 Verba maligna novas mustantis semper ad aures,
 Crimina per populum populi fert ore belingui.*

Sed, ut ad Pythagoram redeamus, Plutarchus in Sylla, eum ait vesci solitum iis, quæ diis immolata fuissent: cum vero piscium nullus ad sacrificium idoneus haberetur, ea quam profitebatur religione ab eis abstinendum censuisse. Sed quantum perinet ad sacrificium, non constare id multis docuimus exemplis. Idem Pythagoras mare Saturni lachrymas esse dicitat, quasi vellet ex hoc ejus impuritatem innuere.

HUMANÆ VITÆ CONDITIO. CAP. VI.

*Mare tur
 Perniciem
 dicitur.*

Agyptii Sacerdotes igitur, uti propositum est, mare perniciem vocabant, ea præsertim de causa, quod cum totius alimenti sui beneficia ex Nilo consequerentur, corrumpi eum simul ac mari commiscebatur animadvertabant, atque ita mare dicebant, quod in humano genere vitale est vitare. Ut vero scripturæ hieroglyphicæ speciem aliquam oculis subjiciamus, in Sais pro vestibulo templi, quod Palladi dedicatum erat hujusmodi visebatur argumentum. Infans, senex, accipiter, mox piscis, prostretnoque omnium fluvialis Equus, quod humanæ fragilitatis conditionem indicat à pueritia vergentis in senium, ac iterum repuerascentis: accipiter vero Deum, ac perinde amorem, quodque in nobis divinum est, ac vitam ipsam vitalem ostendebat. Piscis, odium simul atque mortem, propter mare, quod exitium atque perniciem appellabant. Equus vero fluvialis impudentem violentiam notabat, ut qui nec patri quidem parcat suo, verum eum interficit, ut matris ipse connubio potiatur: atque ita propemodum concors ea discordia, quæ corporum temperaturam constituit, cum dissidere penitus cœperit, atque unum in alterum violentius grassari, mors inde sequatur necesse est. Fluvialis enim Equus ideo pro dissidio ponitur, quod in duobus contrariis elementis vivit, aqua & terra: noctu enim egressus aquis segetes depascitur, & binis est unguis præditus uti boves, de quarum quidem unguularum distinctione in Sue fati ex Divinis literis disputatum.

ODIUM. CAP. VII.

Odium itaque per piscem interpretabantur, maritimaque demum omnia tanta religione & horrore prosequabantur, ut ne nautas quidem alloquerentur; rati, vel ex eorum sermone se contaminari; ita eos arbitrabantur à communi omnium aliorum victu & moribus dissentire, cum ex mari, quod Homerus nullius frugis esse dicit, victum hi tamen & necessariū sibi compararent, quæ Theon Grammaticus apud Plutarchum disputat Symposiacis, cumque elementum id ab humana natura non solum alienissimum, verum etiam illi inimicissimum asseverarent, nullum cum iis commercium habere voluerunt, quod vel in mari gigneretur alereturve, aut id inhabitaret. Neque tamen ignarus sum Plutarchum de mari præclare sentire, ut eorundem Conviviorum habetur decade quarta, sed nos hoc loco Agyptiorum dictata, quæ inter prætor-



- A. Nascermur.
- B. Senescimus.
- C. Vivimus.
- D. Morimur.
- E. Nature dissidio.

*Hinc fonsan
 Κατων
 Σελασσα
 mare malo
 rium, ex Eu
 rip. in Sup
 piscibus.*

preto-